

Author: Doni, Giovanni Battista

Title: Patri Athanasio Kirchero Viro Celeberrimo Ioannes Baptista Donius

Editor: Massimo Redaelli

Source: Florence, Biblioteca Marucelliana, MS A.290, f.<1r>-<1v>

[<f.1r>-] Patri Athanasio Kirchero Viro Celeberrimo Ioannes Baptista Donius

Cum mecum reputarem omnigenam eruditionem tu<am> ac singularem prorsus admirandumque ingenium, diu multumque dubitavi, an opusculum meum de praestantia musicae veteris ad te mitterem. Nam cum in eo patrocinium vetustatis adversus multorum opinionem prae susceperim atque ex alia parte vel te maxime conspiciam [conspicias ante corr.] tot pulcherrimis inventis litterarumque gloria presentis saeculi dignitatem atque existimationem abunde tueri; videbar mihi satis improvide facere, qui adstipulatorem sententiae <.> meae, ac suffragatorem antiquitatis sperarem me habiturum [habitum ante corr.] eum qui unus pene illam non aemulari modo, sed superare videatur. Sed cum ex adverso mecum perpenderem argumentorum ac rationum mearum pondus, singularem tuum iudicium, animi ingenuitatem atque [apathian], nec ultra musicae metas me excurrere aut alias facultates attingere, mathematicam in primis (quamv<i>s theoreticae musicae partem complectatur) mi<nus> desperavi prorsus posse te in meam sententiam adduci: tantoque suffragio adquisito, quidquid [[Neoth]] Neoteristae me repugnarent, causam me obtentur<um.> De reliquo quid in hac Disceptatione sequutu<s> sim video, nempe ut antiquorum exemplo rec<en>tiorum industriam acuam ad nobilem hanc facultatem expoliendam augendamque cu<iu>s certe consilij tam salutaris atque innocij <mei> te fautorem ac uindicem futurum crederem haud satis expendisse videtur quid deceat hominem instituto Religiosum, patria Germanum, natura probum atque ingenuum<.>Vale.

[[Iohannes Baptista Donius]]

[Deest mensis ac annus; sed procul dubio scripta est circa mensem Iunium anni MDCXLVII. postquam in lucem editum est [[de]] Opus de praestantia musicae veteris m.sec.]